Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

De Ervditione Sola Refellendis Incredvlis Havdqvaqvam Svfficiente Pavca Disserit Et Viro ... Christiano Weisio, S.S. Theol. Lic. Ac. Professori Et In Aede C. Nicol. P. M. Conc Doctoris Theologi ...

Ibbeken, Georg Christian

[Lipsiae], MDCCXLI

urn:nbn:de:gbv:45:1-692782

Visual Library

DE

ERVDITIONE. SOLA

REFELLENDIS. INCREDVLIS

HAVDQVAQVAM. SVFFICIENTE

PAVCA. DISSERIT

ET

VIRO. SVMME. REVERENDO

LONGEQVE. DOCTISSIMO

CHRISTIANO WEISIO

S. S. THEOL. LIC. AC. PROFESSORI. ET. IN. AEDE

D. NICOL. P. M. CONC

DOCTORIS. THEOLOGI

HONORES

LIPSIAE. D. IX. FEBR. A. O. R. cIↃIↃCCXLI

EX. MERITO. COLLATOS

PIA. MENTIS. OBSERVANTIA

GRATVLATVR

M. GEORG. CHRISTIAN. IBBEKEN


SCHOL. OLDENB. CONR

1741

8° P 24

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg



Quae de parco veritati diuinae credentium numero vel ipſe ſanctiſſimus Seruator, * vel inſtructi eius ſpiritu nuntii ** praedixerunt; ea heu nimium quantum noſtra aetate inpleta videmus. In ea enim, diuina permittente ſapientia, incidimus tempora, vt nec inter Chriſti nomen profeſſos circumſpicere eos anxie debeamus, qui certiſſimis ſacrarum literarum dogmatibus vel nullam prorſus, vel certe nimis dubiam vagamque tribuunt fidem. Quid? quod vel inter ipſos emunctioris naſi, moratiorisque indolis homines quam maxime, haud raro, malum iſtud ſerpere deprehendimus. Hanc mentes permeare, hanc ſermones inficere, hanc per omnem denique vitam graſſari peſtem, non ſuſpicamur ſaltem atque colligimus, ſed audimus, ſed videmus, ſed comperimus.

Quam quidem dolendam reipublicae chriſtianae faciem cum nulli prorſus veri rectique amanti aequo animo liceat intueri; eorum quaeſo quid erit, qui a cognitis docendisque aeque ac defendendis rebus diuinis Theologi nuncupantur? Id agendum iis procul dubio omni cura, ſtudio omni, omnique opera erit, vt infenſiſſimis iſtis callidiſſimisque coeleſtis doctrinae hoſtibus obuiam fortiter eant: quo vel illi ipſi, diuino adſpirante

* Luc. XVIII, 8. ** 2 Tim. III, 1. 2. 2 Pet. III, 3. ſq. Jud. v. 18.

Landesbibliothek Oldenburg

rante fauore, ad saniorem aliquando redeant mentem, vel alii certe, a teterrima ista peste seruati, in puriori, indies magis magisque, veritate firmentur.

Hostem pernoscas oportet, quem vincere velis. Cum incredulis itaque qua potissimum arte, quibus armis pugnandum, ex perspecta ipsa eorundem natura rectissime colliges. Jam vero increduli nobis audiunt, qui diuinam admittere veritatem detrectant. Sunt ex his, qui omnes omnino summum Numen colendi regulas aspernantur: Sunt, qui vniuersam Jesu Christi Seruatoris doctrinam; sunt, qui haec vel illa illius capita in dubium vocant. Orta hinc, quae vulgo feruntur, incredulitatis siue vniuersalis, siue specialis, siue denique specialissimae nomina. Quotquot vero horum ordines numerentur, in eo tandem concinunt omnes, quod ea iusto destitui fundamento contendant, quae pro certis nos diuinisque admittimus, colimus, veneramur. Hos itaque accurate refellere ac debellare fortiter nullus potest, nisi qui veritates ipsas, cum suis cuiusque, quibus nituntur, rationibus, firmiter teneat, iisque insistere ac superstruere sapienter didicerit.

Explorata eiusmodi rerum cognitione, promtaque veritatem vindicandi dexteritate praeditum, virum doctum siue eruditum suo merito salutamus. Est itaque omnino, quod eruditionem, eamque haud superuacaneam, in Theologo digno veritatis coelestis defensore, desideremus. Neque nobis, iustissimis eius laudibus, vel minimum quidquam decerpendi animus est. Probamus potius, suspicimus, admiramur, quae vel exhibita olim sunt, vel auctis hodie omnis generis artibus, ad firmandam tuendamque rem sacram, a viris summis exhibentur, egregia acutissimi ingenii monumenta. Eos saltem probare neutiquam possumus, qui soli rerum scientiae amplificandae intenti, susque deque alia omnia habent. Pietatem nempe, eamque non nisi ingenuam, haud infucatam, Theologo, christianae religionis causam agenti, quam maxime necessariam arbitramur.

Hac

Hac inbutus ſupremum, ſuper omnia, Numen vnice colit, vnice amplectitur, vnice reueretur. A ſola inmenſa illius benignitate vera quaeuis ac perpetua bona ſibi promittens, ei ſoli quam maxime probari contendit. Omnem igitur, qua poteſt cura, induſtria, lapidem mouet, quo, quam ore profitetur veritatem, eandem factis etiam prae ſe ferat: et Seruatoris vti morte mortem ipſam eluſurum ſe ſperat, ita vitam vita quoque omni exprimere ſtudet. Sanctum vero huncce deuotumque ſummo Numini piae mentis affectum, ingenuum ſtrenuumque veritatis diuinae vindicem quam maxime decere, dignus ſapiensque rerum exiſtimator nullus, credo, inficias ibit. Quid? quod deſtructum potius, quam promotum rem chriſtianam doctoris impii conatibus iri, merito iudicamus.

Vel acutiſſima quaeuis, quae iis opponuntur, ratiocinia, vanarum inſtar nugarum ridebunt increduli reſpuentque, ſi ipſum veritatis doctorem refellere vita vident, quae dictis ſcriptisue adſtruere maximo conatu molitur. Ipſe vero, ſi moribus, quae docet, exprimere allaborat, et ingenue ſe res ſuas agere fidem omnibus facit, et diuinam mentes hominum emolliendi, flectendi, dirigendi virtutem coeleſti, quam tuetur, doctrinae ineſſe, rebus ipſis teſtatur. Quantum, certe, augendae olim rei chriſtianae emendatior prioris aeui fidelium vita contulerit, abunde conſtat iam inter omnes. Nec obſcura apud nos famoſiſſimi illius Angli Rocheſtrii Ducis memoria, qui nulla ferme re magis, quam profanis eccleſiaſticorum quorundam moribus, eo ſe inductum ipſe profeſſus eſt, vt, quae pro veris illi inſciae multitudini venditent, nullius omnino eſſe momenti, ſibi perſuaſerit.

Quid? quod ne ipſam quidem ſcientiam, qua par eſt, cura atque induſtria vel colet Theologus vel adhibebit, niſi ad defendenda placita ſua ſerio mens omnis feratur. Pio, contra, zelo incenſus cum cura omnia circumſpiciet conquiretque, quae vindicandae veritati firmi aliquid munimenti adiungere poſſint. Omnes, profecto, quibus hoc ſiue virium ſiue negotii

tii datum est, si vel tantum adstruendae veritati ingenii acumen intendere velint, quantum in turbandam irrisores effundunt; alia fortasse magisque victrix, adspirante summo Numine, mox coetus purioris emergeret facies.

Neque vero summum veri auctorem aeque atque statorem vnice suspiciens veri defensor, quae siue falsa, siue dubia adhuc minusque explorata, ipsemet nouit, pro veris vnquam penitusque euictis, aliis venditabit. Et dogmata, et, quibus innituntur, fundamenta studiose exquiret, nec propinabit aliis, nisi quae ex limpidissimo fonte hausta ipse praegustando probe cognouerit.

Coronam denique his omnibus prudentia sacra imponat necesse est. Prudentia circa damna auertenda versatur, et ne summo, quem intendimus, fini, per oscitantiam ipsi forte obsimus, sedulo cauet. Sacram ergo dum laudamus prudentiam, curam dicimus atque diligentiam omnem, qua, ne damni aliquid res sacra capiat, prouidetur. Contingere vero hoc multifariam posset, si inmodico quis forte zelo abreptus, vel minoris momenti dissensiones nimis extollat, vel homines temere offendat, quorum tantum errores emendandi erant et eximendi. Magna itaque hic cautione opus, ne nobis ipsis parum intenti, aliosque minus, quam par erat, curantes, ipsi, quam propugnamus, veritati diuinae obicem incauti ponamus.

Sunt, qui et locupleti omnis generis doctrinae apparatu instructi, et pio satis rem sacram promouendi studio ad veritatem defendendam feruntur. At nescio quid inurbani ac rustici prorsus nusquam non prae se ferentes, ipsam, quam tuentur, veritatem audiendi nauseam cultioris ingenii hominibus creant. Nae hi Apostoli monitorum penitus inmemores sunt, qui et * omnes Christi nomen professos, reuerentia se inuicem praeuenire, et ** doctorem, prae alis, et κόσμιον *ornatum* moribus, et ἐπιεικῆ, *placidum*, esse iubet. Ni-

* Rom. XII, 10. ** 1 Tim III, 2. 3. Ἐπιεικὴς, moderatus, qui non omnia summo iure ac rigore agat, nimirum extra doctrinae conseruationem: vbi nec Jota quidem aut apex negligendus est. FLACIVS ad h. l.

Landesbibliothek Oldenburg

Nimius ego vero praeter rem essem, si in enarrandas, quarum lineas saltem duxi, strenui incredulorum oppugnatoris dotes excurrere longius vellem. TV, potius, VIR SVMME REVERENDE, exemplar ad viuum haecce omnia exprimens, intuendus mihi, aliisque monstrandus, quam meditationi qualicunque diutius inmorandum. Eum TE sane et linguae et doctrinae sanctioris interpretem, eum animae curatorem, eum denique fautorem praecipuum, et, si per eximiam, qua TIBI obstrictus sum, reuerentiam, dicere fas est, amicum benignissimum, et expertus dudum sum, et etiamnum experior, vt praestantissimis quibusque veritatis purioris doctoribus accensendus mihi, maximo TVO merito, videaris.

Tantum vero abest, vt affinitatis forte vinculo inuitatum in effundendis WEISII mei laudibus, iusto me largiorem esse, iure quis suspicetur; vt eo potius nomine feliciſſime cum eo initam affinitatem quam maxime mihi gratuler, quod summa ILLVM iam antea et existimatione et obseruantia dignum cognouerim. At quid opus tandem haec contestari? et quid TVA, FAVTOR OPTIME, singularis, qua polles, modestia porro recusat, quae rostra sacra aeque ac academica suauissimis TVIS sapientissimisque vocibus personantia, quae patria dulcissima TVO merito illustrata, quae denique literatus orbis et perspectus TIBI et a TE exornatus, vno omnes ore, praeconia ferunt? Eo certe nomine haud extra minus, quam intra suauissimae TVAE Lipsiae limites, celebraris, vt varia doctrina instructum, vt ingenuo pietatis ardore incensum, vt prudentia denique ac morum elegantia ornatissimum Theologum dicat, quicunque WEISIVM dicat.

Venerandus itaque THEOLOGORVM ordo, cum, nullo non ingenuo veri bonique cultore ex animo applaudente, magnifico, quem pridem merebaris, DOCTORIS titulo TE insigniat; quidni ego quam plurimis aliorum gratulationibus me quoque laetissimus inmiscеam, TEque, VIR SVMME

ME REVERENDE, ſincerrimis aeque ac ardentiſſimis proſequar votis? Fauſtos fortunatosque ac ampliorum, quibus par es, munerum praeſagos, ſupremus veri doctor atque defenſor hos quoque TIBI iubeat eſſe honores! TVIS porro curis atque vigiliis paene nimium indefeſſis, demandatus TVAE fidei coetus et in paſcua ſaluberrima et ad fontes limpidiſſimos ductus, diuinis ſemper viribus augeatur! Academica inprimis a TVO pendens ore iuuentus, inſtitutis TVIS prudentiſſimis pariter et exemplo ſanctiſſimo, ad veram, quae Deo nos commendat, ſapientiam feliciſſimo conatu contendere diſcat.

Ita, cuius egregia fortiter veſtigia premis, GENITORIS vel poſt cineres VENERANDI gloriam haud adſequeris ſaltem, ſed ſuperabis. Ita TVVM, TVIS meritis, nomen et hominibus percelebratum, et ipſi ſummo Numini aeternis in deliciis erit. Ita denique, TE duce, TE fulciente, TE ornante, ad vltimos vſque et Lipſiae et orbis terrarum dies, et viuet et augeſcet et florebit GENS WEISIANA.

EXCVDEBAT BERN. CHRIST. BREITKOPFIVS



Landesbibliothek Oldenburg